CARMEN TRIVMPHALE AUGUSTO II. POLONIARVM REGI.

Post receptum Camenecum, Podoliam, Vkrainam &c.

INCRVENTO VICTORI.

Inter festivas tripudiantis Europæ acclamationes à Societate IESV Provinciæ Polonæ

DEDICATVM.

Innocui veniunt mundo, & ſine cæde triumphi.

Regius Vladiſlai IV. Panegyriſtes Soc: IESV.

- - - venêre triumphi
Cum trabeis, ſequiturq; Tuos victoria faſces.

Claud: de 4 Conſu: Honorij

Plus Cæſar magnitudine Nominis ſui fecit, quàm armis alius Imperator facere potuiſſet.

Iuſtinus l: 42 C: 5:

- - - plus Nominis horror
Quàm Tuus enſis agit.

Claudia: de Bello Gildonico.

POTENTISSIME
POLONIARVM
REX
AUGUSTE

NOn annis Tua metimur imperia, sed nostræ felicitatis magnitudine, quæ brevi tantis auctibus provenit, ut si Regni commoda cum annis Regalibus conferantur, ultra ætatem paucos menses putemus excurrisse. Vix enim triennium se evolvit, ex quo publicæ calamitatis ambitu, à Cælo extorserunt Te vota communia; jam nutantia Poloniæ fata erexisti, Provincias pænè eversas composuisti, didicit timere timor ille gentium: quidquid Polonæ ditionis olim

fuerat, jam ferè totum (ne integerrimo sub Principe sua deesset integritas Poloniæ) excussit alios Dominos, nec jam nobiscum de nostra servitute, sed de sua libertate, certare hostes, multominùs dare leges, audent ut accipiant. Tot annis cælum quoq; intueri pigebat, qua parte, Podoliæ, & Vkrainæ immineret; cum vix non eo diffidentiæ prorumperet agitata malis impatientia, ut hostile crederetur, quamdiu hostes tegeret. Nunc illo etiam cælo liberior aspectus fruitur, atq; subinde cum plausu libet ingeminare: jam ditio Polona vastiùs se porrigit: Majus & Augusto crescit sub Principe cælum.* *Sed cùm effusiùs indulgeat sibi lætitia, fas erit præteritorum quoq; seculorum inclementiam coram Tua Majestate accusare. Cui autem sua luculentiùs infortunia se explicent, quàm nobis adhuc in prospectu habentibus omnem prioris fortunæ imaginem? Fidem hominum? quàm gravis illa, ac luctuosa Turcicæ irruptionis tempestas se in Poloniam devolverat? Primus statim belli impetus Podoliam rapuit, inde more incendij vis indomita in Pokuciam, Volhyniam, Russiamq; prorepsit. Superi, quòd strage hac, & ruina, tota in exitium præceps Patria non sit provoluta? videbatur tamen ideo fatis relicta esse, ut diutiùs lacerari, & sævis fortunæ ictibus patere posset, ac tandem nomen pri-*

* Manilius Astronimicorum l. 4. in fine.

priscum amitteret tot inter clades. Postquam enim Cameneci in illa rupe, in fatali illo Poloniæ scopulo consedit Turcia, fabulis, quæ de Thebano affatim monstro, aut de Medusa jactatæ sunt, fidem adstruxit. Nihil Sanctum in urbe captiva, quod non Sacrilegij piaculo contaminaretur. Excisa Sacra, aræ violatæ, eversæ, passim profanis ritibus, ac nomine Machometi fædatæ: alibi Divorum ædes in receptacula equorum, in penus commeatuum, in barbarorum domicilia commutatæ. Interim vicini sternebantur agri, totaq; Podolia perpetuis collucebat incendijs; mox terris ipsis vix nomen relictum est, postquam gladius, & ignis, castella, urbes, prædia pessumdedit, evertit, absumpsit. Habitatores passim Patria, nec non libertate exuti in servitutem abiére, alios subduxit fuga, sed ut late sua circumferrent infortunia. Quantos ideo Spiritus tollebat barbarus, cum in una civitate universas ferè provincias Polonorum captas, tantùm non Europam crederet expugnatam. Vt olim Critolaus postquam evertit Corinthum Achajæ caput, Carthaginem Asdrubal, conclamatum est: * Hi duos oculos oræ Maritimæ effoderunt; pariter cum Machometus IV. Candiam, seu veteri vocabulo, Cretam expugnavit, uno, cum Camenecum, altero Europam, orbem imò Christianum oculo, felix ter-

* Cicero de natura DEORVM I. 3.

*rarum prædo à se conspici jactavit. Itaque ocu-
lum nobis ereptum, additum sibi putavit bar-
barus. Nos in atra etiam malorum caligine
perspicaces, vidimus, & eruto potuimus oculo
lacrymari effusiùs infortunia. Quanquam cor
veriùs oppressum erat. Huc in subsidia con-
fluebat omnis propè sanguis, quem Natalium
generositas venis insuderat: opprimebatur ta-
men. Rex* MICHAEL *arma corripuit, Re-
gales aquilas consecuta Nobilitas in armis, &
sub signis stetit. Viceramus tunc omnem in
Russia Turciam, si vires nostræ sibi consensissent,
nec favori Numinis intercedere maluissemus.
Cæterùm sequens annus crimen fortunæ absol-
verat, quando Duce* SOBIESCIO *omnia pæne in-
cendiorum, cladium, & dedecorum vestigia,
Turcici inundatione sanguinis ad Chocimum de-
leta sunt. Sed gloriæ plus, quàm emolumen-
ti hinc affluxit nobis Clades animum addi-
dêre hosti exuto castris, & 40. millibus lecti e-
xercitûs. Ita enim vulnerum sensu in vindi-
ctam furor se erexit, ut irritatus magis, quàm
victus appareret. Quas non advocavit furias
in pectus? spelæum Dacis, nec non Scythiæ de
Cameneco fecit, ubi se continuo rabies efferata
aleret, & continuò in magnam exereret colle-
ctationem, unde volatilis exercitus, quasi favil-
læ ex Vesuvij, vel Ætnæ faucibus erumperet
ad strages, ad populationes, ad ruinam pro-*

vin-

vinciarum. Penus barbarorum fuit, quidquid vicinum esset. Hinc annona, hinc supellex; cumq; sanguinem, nutrita populorum exitio rabies consuevisset lambere, hinc in saginam furoris quot victimæ? Ita ne semel tantùm miseri essemus, colluvies fatorum in nostras se multiplicabat ærumnas? neq; tamen, dum assiduis irruptionibus fatigamur, vires, animiq; hebetati sunt, aut ferrum elanguit. Tam alto vulnere convaluimus ad fortia, ut si leo plagam sentiret. Sustulimus animos post damna, velut prosperrime fortuna vertisset, quin etiam Orientem agitavimus, cum Podolia fumaret. Nec temeritas votorum sibi illudentium huc ferebatur: tempus illud armis, virisq; incitatissimum, & juxtà virtute atq; cladibus insigne evenerat. Damna ipsa gladios, & animos acuebant. Itaq; percrebuerat fortunam sic atrocia fuisse ausam, suas ut Polonia vires, & nosse & metiri inciperet. Agnovit, & mensa est: annis 27. arma hostilia vel provocavimus, vel sustinuimus: at ruebant contrà Daci, Scythæ, & vario sub Cælo scriptus per Orientem miles. Fines tantùm Patriæ tutari ignavum videbatur. Bellum sæpiùs intulimus in Scythiam, campos vasta horridos solitudine peragravimus, gentem moribus perinde, ac terrà incultam aggressi sumus, ut injuriam à Tartaris illatam Regno, in Tartaria vindicaremus. Quis enim

Ge-

Getas spolij causa invaderet? non illis nitidæ urbes, non cives opulenti, sed deserti passim, quos, horror, & inopia rerum asperavit, campi; domus plerumq; mobiles, & ambulatoria suis cum incolis oppida, prædiaq; equitant: furtis vivitur finitimorum, in convivia transierunt mortes equorum, cæteræq; belluæ exspirant ad barbaros luxus. Nihilominus tam fæda vastitate procumbentes terras, non miles duntaxat Polonus, sed fortissimus ille Regum IOANNES SOBIESCIUS *iterum, iterumq; armis perlustravit: Camenecum quotannis fere gravi Marte quassatum est. Quo deinde validiùs potentia barbarorum everteretur, sanximus armorum societatem cum Imperio, & nonnullis Christianorum Principibus. Rex deinde tam arctis, afflictisq; rebus, ausus in diversa respicere, exercitum Polonum rapuit, arma promovit ultra fines Regni, tantùm non ultra Principum exempla, Viennæ laboranti succurrit, Scythas primo adventu velut fulmine discussit, Turcas internecione gravissima mulctavit. Velut Hydræ capita post cædes pullulant, sic Bistoni è damnis crescit audacia. Ioannes Herculis animum sortitus Hydram hanc rursus in Hungariam secutus appetijt, prostravit. Adhuc tamen inter ruinas Turciæ stabat rupes Camenecia, atq; tot cogitationum nostrarum seriem vertebat irritam: adhuc vivebat in sua Poloniæq; fata, suis*

discri-

discrimnibus, & fuso toties sanguine adhuc alebat virus hostium. Nullam (Rex Invicte) nullam Marti vacationẽ dabat Polonia, omnem imò lapidem movebamus, ut è cautibus Cameneci emoveremus perniciem; sed fortuna victori populo hanc unam invidebat victoriam, obstabatq; armorum felicitati, ut Tu sine armis vinceres. Illa Te exarmavit; vel si hoc crimen posse non audeat, majestate, & magno Nomine pulcherrimè armavit. Alios efferari contra hostem, ut fastis Nomina inscribant sanguine devictorum, gloriosum est: Principes Magnos pugnare famâ, & Majestate, triumphos mereri gloriosissimum. Cui pronum est omnia ruinis permiscere, si moveat arma; maximè potest crescere, si potentiæ modum ponat, & Nomine plùs, quàm omnibus castris circumdatus innocuè triumphet. Quanquam nec ferrum, nec animus bello deerat. Vix enim à Superis credita est Tibi nostræ salutis cura, sensisti non tam in solium Te vocari, quàm in campum, & sub tentoria. Quamobrem posito Sceptro gladium strinxisti, deduxisti geminum exercitum, Polonum hinc, inde Saxonicum: unus tamen erat sub uno populi utriusq; Principe. Illico perniciosa rupes molliri, hostis pœnè excuti metu, & cautes, quibus se nostra securitas affrangebat; charybdim experiri. Solumne Camenecum trepidatio concussit? non, & totum Orien-

tem atra caligo formidinis afflavit? Constabat Te Rege populos emicuisse in aciem, quibus, si jungantur expeditum sit cum viris pariter confligere, & cum Saxis. Necdum etiam vulnera, quæ altiùs impressisti, Turciæ Pannoniam infestis armis lacessenti, obduxerat cicatrix: sentiebant fulmen Regium, quo concusseras Gigantes illos, & adhuc se fragor per animos hostiles, quamvis tonare desieras, volutabat. Ergo contumacia transire in modestiam, in pacis fædera conspirare, infessas Provincias restituere, Cameneco se abdicare, reponere captivos Scythica vi abductos, Tartaricos incursus imperio velut obice cohibere, omnia in tranquillitatem Poloniæ quasi imperàsses, decernere. O miracula plùs quam Regalia! hominisne istud, non assidere hostibus, & vincere è longinquo? non educere è vagina ferrū, & prosternere tumentes animos? sustinere labentis mundi ruinas, antequam manus erigeretur? Regium istud, & Divinum. Quid si gladium rotàsses? si belli fulmina intorsisses? non totus ruisset Oriens? Vt enim mundi Parens, quamvis eminus tonet, nubibus quasi pharetrà recondens trisulca tela, timetur; sic AVGVSTE, cui semper in promptu est potestas, abes; & consternas hostem. tonitrus bellici fragores à longe strepunt: formidaris, & priùs vindicas Vrbes, Provincias repetis, quàm aspexeris. Prodigium hoc! Reli-

gio Turcica est quidquid furor, & impotens proferendi fines potentia semel invaserat, nunquam dimittere; quasi juxtà esset possessio, vel æternus retinendi titulus, quæ fortunatum scelus iniquè rapuit. Confutasti barbaram legem, irritata sunt insanæ dominationis sancita; ne ampliùs pietas videatur occupare Christianas ditiones, aut occupatas perenni premere jugo. Iam Thraces, qui oculo semper elato, & semper minaci despectant Exteros, nunc etiam caput, superbè quidem, submittunt tamen. Nec leges superstitiosas abrogare, rescindere, sacrilegium putatur, cum timor incutit saniora consilia. At TU REGUM POTENTISSIME *tantùm animi, quantùm ferri habebas in prælia: utriq; DEVS, & militum alacritas consentiebat. Si detonuisses in Cameneci ardua, subsedissent rupes, omnia Regiæ felicitati pervia, simul ad Vrbem, simul ad immortalem gloriam patuissent. Constabat interim speciosum esse malum victorias, quæ bellis constant, cùm & vincere funestum, & vinci miserrimum sit. Idcirco maluisti pacem, cujus Parens moderatio, clementiaq; esset. Quas Tibi columnas, quos arcus posuissemus, quæ adjecissemus emblemata, si ferro ac Marte gravis, Vrbes, Provinciasq; Tuæ Poloniæ vindicâsses?. Cum eadem præstes sine clade hostium, nostroq; Sanguine, honores tantò ampliores meruisti, quantò gloriosiùs est servare Cives, & hostem;*

Regno adijcere Provincias, & nulli adimere vitam. Latiùs clementia hæc Nomen Regium, quàm Imperij fines protulit. Crede REX MAGNE unius triumphi gloriâ plures exhiberi victorias. Cùm enim ferro parceres, Tuos vicisti Proavos Cæsares, Regesq; vicisti, & Parentem Magnum, aliorumq; bellatorum exempla. Quid? non illi classes milite, ac terras onerabant, ut hostem edomarent? non bellis inficiebant Maria, & cùm defenderent mundum pænè evertebant? non sanguine mutuo madebat Orbis, dum expiarentur rebellium crimina? Quàm multi utrinq; gladio sternebantur, ubi paucos bellum servabat, aut subigebat. Nulli triumphi adornabantur, tripudia tam festiva, quibus se dolendi contumacia, gemitusq; non admiscuissent. Nam victoribus perinde, ac victis funesti ducebantur triumphi, siquidem non omnes se numerabant in lætis acclamationibus, qui in aciem processerant. Recipiebantur Vrbes, ac Regna: incolæ peribant. Parce CLEMENTISSIME PRINCEPS: Te ipsum quoq; devicisti. An enim currus, & trophæa unquam deduxisti, quæ non aliquo sanguinis impendio constarent? Magnam efferebas Animam in campos, mille discriminibus caput pretiosum, terrarumq; curis occupatum objiciebas, ut Te Victorem, & Turcicum gratantes populi salutarent. Nunc triumphas; at nemo expalluit Tuo trium-

pho

pſo. Quos ideo titulos addemus Tibi o PRINCEPS? olim ex *Aſia, Africa, Numidia, Germania, Creta, Victoribus naſcebantur Nomina, ſed quæ gentium damna pepererant. Tu emines Mundo; ſed non everſo: Cælo Auguſtum caput promittis, ſed ruderibus, ac ruinis populorum non ſuperſtas Victor, ut novum induas cognomentum è commodis mundi. Itaq; ſine cæde Victorem, vindicem incruentum, ſoſpitatorem Poloniæ tranquillum, pacatum generis humani pacatorem jam nunc appellamus. At quanto majores (solùm enim ut publicæ felicitati ſic gloriæ proluſiſti agendo ſumma) ſunt tituli, quos ſibi Regiæ virtutes parant?. Alibi famæ viribus pugnabis, & clementiâ: ferro alibi. Illam merebuntur in obſequia proni, iſtud contumacia provocabit. Audeatne provocare? circumſpice Tuam REX Poloniam: habes paratos enſes, & haſtas, & animos. Quidquid imperaveris, factum puta. Rues in pericula Dux bellorum? ruent univerſi: jubebis in gladios, & mortes volitare? nemini vita carior quàm Regale imperium, dignitasq;. Quibus militaris ætas eſt; adnitentur Tecum. Quin non primum modò ætatis florem virtus bellica ſtimulabit; etiam veterani, & emeritæ militiæ canos, onerabunt caſſide, ut non Tui tantùm, ſed inſuper ut Te Duce ſint milites. Vniverſi diſcrimina in virtutem vertent: pateſiet iter ferro, quodcunq; a-*

 mor

mor Poloniæ, gloriæq; Tibi suggeret. Vniversis enim, qui probitate censentur, acuisti cùm ferrum, tum animos; quando plurimis probavisti argumentis Te non esse in ijs Principibus, quibus nemo virtute placuit. Qui fortior, qui justior, qui cæterarum studiosior est virtutum, hunc Tibi conjunctissimum, utilissimum Patriæ, & qui possit ornamentum ipsis dignitatibus dare, putas. Quorum adhuc imbellis est ætas, horum quoq; concitâsti ingenia. Maximam ex ijs partem SOCIETAS Nostra alit eruditione, & pietate. Crescũt Nostro sub magisterio Tui quondam Cives, ac Milites, illis perpetuò velut maximum dogma instillamus, ut post supremam, atq; Regibus eminentem, Tuam ediscant, colant, Majestatem: Patriam ament, cujus Te Patrem, ac Tutorem non ambitiosa titulorum jactatio, sed immensa fecerunt merita. Plura Tu persvades Majestate etiam tacente. Itaq; tractabunt literas, & ferrũ. Vtriq; par cultura; quia utriq; par æstimatio, Te rerum Nostrarum æquissimo Arbitro. Vtinam verò quæ priorum infelicitas seculorum amisit, Tua REX POTENTISSIME dexteritas, clementia, fortitudo restituat plenè! Restituet enimverò. * Proxima quæ victoria instrumentum est sequentis: auctis ex prosperitate viribus ulteriùs felicitas grassatur. Muniemur Tuo ferro, & Nomine: cælum quoq; Regio Numini adspirabit.

Am-

* Iustinus lib: 1. Cap. 1.

Amplius spe futurorum eveheret se, & exsultaret styli impetus, nisi constaret, ut Numen, ita Principes non prolixa oratione, quàm adorantium submissione, voto, & confessione beneficij lætari. Quapropter ante altare Tuum appendere libet imaginem Poloniæ nuper convulsæ, nunc jam pæne integræ, & reflorescentis. Hæc Apollo Noster exhibet, quem Tu PRINCEPS CLEMENTISSIME *Oculo, & favore si dignaberis, efferet se Majestate Tua proserpens ingenium, illudq; cum plausu modestissimè ingeminabit:*

* Iam Dominas aures, jam Regia tecta meremur,
Et Chelys AVGVSTO judice nostra sonat.

* *Claudianus in Præfatione ad tertium Honorij consulatum.*

Devinctissima *Societas IESV* Polona.

- o ſceptro major & Orbe!

Prodigio vĩcente fidem, *cui*, lucis habenas

Ceſsit Spontè *Oriens*; & ſolem reddidit, aſtris

Vnitum; radioſq; ſuos, ſervire còégit.

Auctor Amedei Pacifici.

Inclytum ſolis jubar, æviternos

Suggerit, noſtræ, radios, coronæ.

Paneg. Vladiſlai IV.

CARMEN

CEdite Bistoniæ Lechica de rupe cohortes:
AVGVSTI fortuna jubet: Migrate Geloni;
Harpyiæ immanes, laceri contagia mundi,
Terrarum funesta lues, affinia, torvam
Conde triumphatus sub Tartara, Tartare frontem:
Sarmatici metuenda vetant arbitria Regis
Per Lechicas errare plagas. Decedite pestes:
Alma salus, & pax, & priscis fontibus orti
Obryzo micuêre dies Nec Strage cadentûm
Erigimus sublime Caput, mundivè ruinis
Pax emitur: lauros vaginâ conditus ensis
Demetit. ô Lechiæ columen, melioris origo
Temporis, ô mundi jubar immortale Poloni
Has infers AVGVSTE vices! Te Rege labantes
Erigit, atq; movet rursum sors nostra lacertos.
Hanc canimus; paritercq; lubet sævissima plectro
Fata redordiri. sed jam sub Imagine læta.

Da placidos vultus, hostem qui fulminis instar
Percellunt, Solis radiant, sed Civibus instar
Magne Triumphator. Musas exaudit inermis,
Festivos posito recipit quoq; fulmine plausus
Iupiter, & Phæbus crinales temperat ignes,
Dum chelys, aût Vates Divinas adstrepit aures.

Iam prope ter denas reduci circumvagus orbe
Vexerat æstates Titan, totidemq; decembres

Pulla ſub hiberno torpebat bruma rigore,
Floraq; ſe toties ſertis redimita coronas
Præbuerat veri, toties autumnus ariſtas,
Plorataſq; Lecho devexit in horrea meſſes:
Ex quo Threjicijs regnata Podolia Sceptris
Triſtè peregrino gemuit parere Tyranno,
Et tantùm gemitu, potuitq; laceſſere triſtem
Fortunam lacrymis, meliorem accerſere votis.
Namq; ubi Podolios congeſto milite campos,
Quem Meotis alit, dederat quem Dacica tellus,
Hæmusq;, & Memphis, quem plurima miſerat Eos,
Quartus inundavit latè Mahometus; at hoſti
Diſsidijs agitata ſuis non Lechia ferrum,
Vlla nec objecit venienti caſtra Tyranno;
Cùm malè ſub dubijs fiducia credula rebus
Inſidias rumore ſtrui, non bella parari
Cenſeret. Non arma viris, Martive paratus;
Non annona penu, nervusq; pecunia belli
Excipitur ciſtis, vigilat ſolertia nusquam,
Sed ſibi libertas ſemper benè conſcia, rupem,
Quæ Saxis ſuſpenſa rigens nil debuit arti,
Omnia naturæ, tentari poſſe, nec ullis
Viribus invadi; quin Thracem ſigna tuliſſe,
Indecor è campis ut nonniſi probra referret,
Aût acie caderet, ſpes inconſulta putavit.
Turcia tunc animis tumidùm ſpirantibus, altas
Cameneci rupes, & pænè adamante recuſam,
Quam vagus allambit fluvius, circumſtetit Vrbem.
Mox potiens rerum ſolio conſedit eburno

Cau.

Caute ſuper; veluti toto ſuper orbe ſederet,
Grande ſupercilium ſic extulit, ore minaci
Omnia deſpectans. Oculos exaſperat horror,
Fronte ſedet Mavors, graviorq; ſuperbia Marte,
Mollities, turpiſq; effœminat ora voluptas.
Bellonæ, Paphiæq; genas induta, ſed atras
Indomita verſat mundi ſub mente ruinas,
Fataq; Regnorum; recoquit ſub corde venena,
Vt bellum, belloq; nocentior edomet orbem
Luxus, & è luxu ſoboles malè nata voluptas.
Iſtis namq; armis ſibi Thracia ſubjugat oras:
Nempe Viros ferro, molleſq; libidine frangit.
Vna vibrat contum manus, altera fulgurat enſe,
Inq; feras animoſa neces per funera nomen,
Raptaq; per clades ardet producere Regna,
Et profligati ſpolijs diteſcere mundi.
Baccatum elata radiat cervice monile,
Et tremulis aures gemmis, & brachia galbis,
Porrectiſq; ſuper ſcapulis ometides ardent.
Palla fluit dorſo, ſed multo palla cruore
Fæda paludatos cultu contaminat artus.
Effuſum chlamydis connectit fibula luxum,
Pectus ut, & tectos obvelet pectoris aſtus.
At Capiti Gentile decus ſe Cynthia donat
Cor[illegible]bus expungens criſtas: præ pectore ſcutum,
Ovale vel Hectoreum, rigido dum certat Achivo,
Incluſiſſe latus potuit, vel fortis Achillis:
Thermodoontiacos decuiſſet parma manîplos
Talis, & Harpalycen, hanc Pentheſilea tuliſſet.

Lemnius umbonem variarat: desuper Eos
Imminet; hinc Rhodope celsum caput obijcit astris:
At Patrij fessus bellis respirat in Æmi
Vertice Mars. Nec iners pretij moderatio lusit;
Naturam mentita dedit nam cuiq; colores
Ars operosa suos. Gradivus fronte rigorem
Ex adamante trahit, ferrugineisq; lapillis;
At Rhodopes, Æmiq; jugum texère pruinæ,
Quas niveæ simulant gēmæ. Tum multa revīctam
Thracis in obsequium cervicem Europa supinat.
  Per medium clypei cælato vivit in auro
Africa monstrorum genitrix. Portenta pyropis,
Sapphirisq; micant, naturæ probra smaragdo,
Nec temerè jactis animantur monstra metallis,
Quodq; videre horres, cælo, pretioq; superbit;
Ipsum ut sub specie monstrorum palleat aurum,
Gemma facit montes, pretiosas gemma procellas
Excitat in fluvijs, tempestatesq; fretorum
Candida gemma refert, adspirat gemmeus Auster.
  Ast Asia effusos contermina porrigit armos
Parte alia scuti. Prô quantis Turcia prædis
Se Dominam jactat, mundiq; superba ruinis,
Et spolijs Regum, populos, ac Regna recenset!
Nec regnare putat, multo nisi regnet in orbe,
Ac medius Dominæ prope mundus serviat uni.
Stant Macedo, domitusq; Cilix cervice retorta,
Et truculentus Arabs, & versis Parthe Sagittis
Bistonis accumulas fastum, Mediq; furorem
Sculptilis, & dubiæ fidei fert lamina Grajos.
Hos

Hos habitus, hæc ora tulit, dum rupe reſedit,
Quæ Camenecenſem tergo pigra ſuſtinet urbem.
Ponè latus Dominæ Mars, & violentia ſiſtunt,
Et ſemper dubitanda fides, rabieſq; nocendi,
Faſtus, & effreni ſtipata licentia luxu,
Livorq;, & Diræ, dominandi & noxius ardor.
Mox torvas converſa genas, quà bellica pingues
Ruſſia porrexit glebas, quà Lechia planis
Se tendit latè ſpatijs, & flexus in Arcton
Cernis Hyperboreum Septem-Boruſſe-trionem,
Balticaq; æquoreis ſeſe Thetis abluit undis.
Et Litavos inſpexit agros. Hinc ſæva reducens
Lumina, divideret rabido ceù Teutona vultu,
Heſperio veluti raperet pro Cæſare Sceptra,
Sic tumuit ſpes vana, minas ſic ore vibravit.
Iamq; ſupercilio Dominam mentitur inani,
Occaſumq; ferox votum conjungit Eòis
Partibus, Adriacum tumida jam mente profundum
Navigat, oceano populos, urbeſq; natantes
Diripit, Heſperiam præfractis Alpibus intrat,
Vt renovet Pœnum, rerum faſtigia Romam
Concutiat bello, Tarpejo monte locata
Impietas teneat mundi totius habenas.
Sic animum laxat! viſu quæcunq; notantur
Regna, putat ſua. probroſumq; aliena videre,
Nec calcare ſolum, nec aquas tranſmittere lembis
Ambitio damnoſa cupit, niſi cuncta nefandum
Cogat in obſequium, greſſu quaſi mancipet ipſo.
Nam quis Threjicios obſiſtat ferre lupatos,

Lechia ſi tulerit? Thraci ſi Sarmata collum
Subdiderit, totum ſubitò frenabimus orbem;
(Inquit.) At in fortes eſt jam non vile Polonos
Arbitrium nobis. Facilis per lubrica lapſus:
Qui ruit è celſo pejùs feſtinat in ima
Præcipiti caſu. Lechiam protruſimus infra
Vertice de ſummo. Summũ eſt Camenecia rupes;
Hanc teneo: ruet. At nobis cervice ſubacta
Stare ruinoſa ſuper, inſultare ruenti
Fas etiam fuerit. Teneo vadimonia, poſtquam
Hanc tenui petram, nec diſſociabile fædus,
Aût incerta rei cecidit poſſeſſio. Quidquid
Marte ſemel cepi, noſtrum eſt hoc ſemper; & arma
Iuris habent titulos. Hîc Thracis tecta Gradivi,
Hîc ego poſtpoſito non jam vaga demorer Æmo;
Nonniſi, dum lentis oculata ſubibit Enyo
Paſſibus hos fines, per quos Germania ſedit,
Affineſq; plagas, aût cùm per cærula bellum
Ibit ab auroræ thalamis, famuloſvé carinæ
Oceano revehent Afros, ut aquatile robur
Sternat, & Euganeis, famulas affrangit uterq;
Quéìs Neptunus aquas, gladius det jura Gelonum,
Auctor, & everſor legum. (commercia nobis
Sunt cum Neptuno, nec diſſidet Æolus; æquor
Dum ratibus ſulcare velim, fluctuſq; domare.)
Aût poſtquam domitas vis eluctabitur Alpes,
Inq; ruet Tyberim metuenda Propontis, & Eos
Heſperon exſtinguet, cùm Biſantina migrabit,
Vrbs in Aventinos colles, & Turca Latinum

In-

Induet, aût patrio pr o perabit Dacus ab Iſtro,
Quiqꝫ Tyram potat miles thoraca lacertis
Apprimet, ut terris victricia ſigna ſecutus
Provolet; hac primùm greſſus è rupe movebo.
Falſa nec ambiguam vertunt ludibria mentem.
Non fallor. Tantis adſpirant Numina rebus.
Si renuant Superi: magnum mihi Numen in armis;
Hoc ferrum DEVS eſt. Claudit vagina Senatum,
Arbitrum ut in belli cauſas manus advocet enſem.
Vincere ſi poſſim, juſtum eſt: Si fata repugnant;
Fraudibus utendum. Ius evertatur, & æquum;
Hoc quoqꝫ fas. Virus, vires, perjuria, fraudes,
Imperij causâ veniunt ſub nomine recti.
Quid rear illicitum? raro virtutibus uti
In bello placet. Aût vis, & violentia virtus
Bellica ſit. Quodcunqꝫ mucro decernere poſsit,
Credidimus virtutis opus. Bellona, nefaſtis,
Belligeraſqꝫ animas, & ſeſe conſecrat auſis
Adnumerans tetras inter myſteria noxas.
Hæc mihi Relligio eſt, nil relligionis habere.
Sic aut evertam, aût prendam moderamina mundi.
Dixerat. Horrifico prorumpunt mille furores
Pectore; de flammis àër igneſcere viſus,
Taurica flammari, ſuccendi Boſphorus, æſtu
Helleſpontiacæ rabioſo fervere fauces,
Euxinus flagrare, nives ardere, protervo
Frigida torreri penitùs Mæotis ab igne,
Mucrones ſtridere ferùm, tinnire catenæ,
Triſtibus offundi tellus populata favillis,

 Sacra-

Sacra rui, Scythico, viciq;, urbeſq; feriri
Enſe, cadens retinere ſuum vix Ruſſia nomen.
Majores fortuna ferox ſic luſit ad iras
Numinis: indomitæ ſunt hæc præludia ſortis
Nam minus eſt opibus, vel libertate carere:
Sacra jacent, quaſi verna DEVS, Diviq; (ſuperbis
Hos etiam Biſton calet annumerare trophæis!)
Nonniſi furtivo, aût parco placantur honore!
In templis ſtabulantur equi, vel fæda voluptas
Divinam incæſtis (dolor ah!) contaminat aulam
Noctibus, & luxu, & quæ non memoranda ſilemus:
Sive profanatis Mahometi polluit aris
Araſq;, & veris habitata palatia Divis
Impia Relligio. Si priſci ſigna nitoris
Solem, Podoliæ clarat qui ſtemmata Gentis,
Vel privatæ ædes jactant, vel publica templi
Atria, vel geminæ ſaltem munimina geſtant
Arcis, adoratum populis fera Turcia ſidus
Expungit, ſuſpenſa tholis inſignia terræ
Affligit, Triviæq; jubar pro Sole reponens,
Cede (inquit) Lunæ Titan; hoc dignius aſtrum eſt,
Hoc tectiſq;, ariſq;, hoc celſiùs arcibus exſtet.
Thracibus alta diem, Lechis det Cynthia noctem.
Hæc ubi captiva dirùm peraguntur in urbe;
Libertas ſed furva genas, ſed nubila frontem
Et vultus dejecta migrat. Vicinus aperta
Planitie quà tendit ager, ſediſſe repulſa,
Ceſpiteq; innitens crudo, cernenſq; ſupremos
Interitus, & adhuc fumantis funera Regni,

Ta-

Talia fatidicis fertur flevisse querelis.
O Sacra! sacrilego ô violatos crimine Divos!
Quid sceleri sanctum est? istis excedimus oris?
Linquimus has arces? refugus quot lustra revolvet
Phœbus, ut extorris te rursum urbs cara revisam?
Hoc equidem novi (nec enim nos Numina celant
In superûm quidquid fastis adamante notatum
Conditur) huc iterum, ast serò remeare licebit.
Haûd Lechus ignavo componet inermia somno
Brachia, cûi pulchram pietas accommodat iram,
Mens acuit generosa ensem, Mavortius ardor
Exstimulat mentemq;, manusq;, & fortia pugnæ
Nunc quoq; belligeris accendit pectora tædis.
Non Regi, aût Ducibus clausus, vel frigidus ensis,
Patria dum nutat, mollis tenet otia pacis.
Iam seriem belli tueor, pugnandaq; sæpe
Prælia, Regales curas, animosq; Ducales,
Fædera Regnorum, cunctos ex ordine motus.
En Rex bella vehit; Dominū ambivêre Gradivum
Purpurei Patres, sagulo mutatur & ostrum,
Magnanimiq; Duces, Bellatoresq; Quirites,
Et cui nobilitas, stirpisq; nitescit origo,
Miles it, ac stricto Generis decus asserit ense,
Atq; Atavûm Ceras, Patriæ metitur amore
Nobilior tantò, quantò pugnacior, ausum
Publica concussi sperant ubi commoda mundi.
Fervida virtutem per summa pericula, mortis
Nequicquam metuens flagrat exercere juventus;
Vt sibi victurum nomen, Patriæq; salutem

Vlti-

Vltima mercentur caræ dispendia vitæ.
At postquā volucris Phæbi rota torserit annum,
Hìc, ubi Chocimum surgit, SOBIESCIUS acer
Marte, Musurmanas funesta cæde phalanges
Sternet: aquæ ripas, permutabuntq; colorem,
Seq; Tyras alium in rubris mirabitur undis.
Occiduo Regi post pulchra Polone trophæa
Tristè parentabis. MICHAEL æterna meretur;
Invidet ah meritum violenta sed Atropos ævum,
Inq;seret lauris mæstas victoria taxos
Dux tamen orbati Victor fastigia Regni,
Et viduos fasces, desolatumq; merentis
Imperij clavum, dignus regnare rogatus
Accipiet. Regale cui tentoria tectum,
Pro solio quadrupes: quàm Sceptrū, crebriùs ensem,
Majestas armata premet, galeæq; timendum
Fulgur adoratam, sacra quàm diademata frontem
Sæpiùs attollet. Sed Majestate remota
Iam pænè eversum validus componere mundum
Ex pugna capiet pugnam, primusq; labores
Parturiet labor; & gignet victoria bella.
Nec tabo infectum vaginâ claudere ferrum
Fas erit, aût fessum paxillo appendere scutum.
Nulla quies gladijs concessa, nec otia Marti.
Qualiter assiduis monstrorum Iuno fatigat
Cladibus Alciden, vel Atlantem pondera Cæli,
Credita Regnorum pariter tutela IOANNEM;
Vt Regalis honos nil sit, nisi cura, laborq;,
Terrarumq; salus. Dacos attollere campos

Pul.

Pulvere, bacchantis ſuperare Boryſtenis iras,
Obſtantem tranare Tyram, frigeſcere brumis,
Quæ Scythiã adſtringunt, vallatã Thrace Viennam
Solvere, Pannonicos aquilis pervadere montes,
Excutere Edonios, alienaq; Regna tueri,
Nec ſibi, ſed ſocijs ſociali vincere bello,
Sarmaticum neſcire polum, ignorare penates,
Sed Patriâ procul ignoto conſueſcere Cælo,
Intima curarum cum Dîis communio coget.
At non imperijs tantùm, vel nutibus arma
Sit tractare ſatis; duris interrita virtus
Miſcebit magnum forti cum milite Regem.
Concipient ex Rege animos, quoſcunq; calere
Auſibus egregijs continget. Prima Ducales
Flamma ſed exuret fibras. Non cedere ſummis
Pulchrum eſt, in Patriam quoties certatur amore.
Heu quantum poſſet tanto ſudore parari
Et pelagi, & terræ! non urbs repetenda, ſed orbis
Imperium Eôi, primæ & cunabula lucis;
Vt quod iniqua tenet vis, occupet æqua poteſtas.
Quò cruor hic vergit terrã propè ſparſus in omnẽ?
Quò labor? Æternis bellantûm nomina faſtis
Sculpet, & auditis totum vaga fama per orbem
Cantabit lituis auſus, & fata vetabit,
Egregijs ne muta ſtruant oblivia geſtis:
Æmonij gladius tabi, multùmq; Geloni
Hauriet, unitas poterit divellere vires,
Vt quæ Cæſarèis immanè potentia Regnis
Incubat, aût Venetûm fluitantes æquore claſſes

Oppugnare parat, minuat diviſa furorem,
Inq; Lechos ſua caſtra Dahæ, Beſſiq; reducant,
Nec Thraci advigilet, proprijs ſed Concanus arvis.
Hoc erit; at tutò ſtabit Camenecia rupes;
Hîc figet ſedem, hîc poterit vel victa timeri
Turcia. Quis valeat rigidas effringere cautes
Annibal? AVGVSTO laudē hāc fortuna reſervat,
Qui nunc in Tyrio vagit regaliter oſtro
Saxonidûm ſpes alta Ducum, Lucina beato
Fædere cûi nectit terreſtria Numina Reges,
Cæſareoſq; Atavos, Heròúmq; agmina Patrum.
Spirabit Proavos, unam & ſe colliget omnis
In mentem probitas bis terno è Cæſare, Reges
Et conſangvineo ſub pectore contrahet omnes.
Talia non renuit grandis compendia virtus.
Linquere jam cunas ardet, nutricibus ulnis
Nec libet arctari, ſolium cui grande paratur.
Stant dulces præ fronte minæ, Martemq; laceſſit
Vel lacrymis puer, hic Patria jam ludit in haſta,
Ille per & clypeos reptans jam geſa repoſcit,
Et pharetras novit, fallitq; biennia ſcutis.
AVGVSTVM infantem validis ſuſpendit ab ulnis
Non raró Bellona, ſacro quin ubere nutrit,
Divinam cum lacte animam, mentemq; Paternam
Inſinuans. Studium curâ nec ſudat inani.
Illi ſub Siculo fabricat jam Mulciber antro
Ingentem gladium, dat fulmina Iuppiter ipſe,
Sexcentas properat grave munus Apollo ſagittas,
Mars haſtam, Pollux frenatum Cyllaron offert.

At

At Pallas ſudat non enarrabile textum
Vmbonis, Charites ſertum Regale laborant,
Quod meritæ quondam viduata Polonia fronti
Imprimat, è lauru nectit diademata Daphne.
Hæc dabit hæc olim magno victoria Regi.
Vt vincat, veniat: quos tanget poplite campos,
Parturient laurum. Nec ramus pullulat unus
In ſertum, aût arbor, ſed laurea Sylva vireſcet,
Lauriferumq; nemus multo daphnone coronas
Spontè triumphali textas progignet honori.
Nec veniat: magnā ſatis eſt præmittere famam;
Quàm ferro, & totis alij decernere caſtris,
AVGVSTVS poterit pugnaci nomine plura.
Tunc mihi Camenecum, tunc rupes capta patebit,
Podolijq; ſuo clarebunt ſidere fines.
Hæc ubi venturi libertas præſcia fati
Finijt, auratis in nubem concita pennis
Avolat. Augurijs manet inviolabile pactum,
Nec dubitata fides Illam nec multa refellunt
Luſtra, nec ambigui labefactant prælia caſûs.
Interea fervent natæ cum mortibus haſtæ,
Ac horror gladiorum, & tela feracia leti,
Hinc Biſton, miſtuſq; Geta, & ſine nomine turmæ,
Armat in excidium pavidi quas Turcia mundi;
Inde Lechus, quē damna docent ſit quātus in arma,
Virtutemq; dedêre ſuam diſcrimina nôſſe,
Arma movet, medio ſuppar certare vel orbi
Tutatur Patriam, fulcitq; cadendo ruinas.
Nec priſcis contenta, novas fera Turcia tetrum

Advocat in pectus furias. Haûd ſufficit, Orco
Qui ſatis eſt numerus furiarum: noxius auget
Eumenidas furor, ut totidem ſint fortè Megæræ,
Tiſiphonæ totidẽ, Phlegethon quot pallida nutrit
Monſtra, quot à Getico mittit furibunda latrones
Terra polo. Cui ſæva placent, niſi ſumma placere
Crimina non poſſunt. Inter præcordia quantum,
Quod neq; ferre queas, revomaſvé Polonia retro
Virus habes! gremio exitiabilis ardet in ipſo
Flamma, nec hoſtili, noſtrové domanda cruore,
Perpetua è Lechicis veniunt cui pabula damnis.
Tam longum Odryſius bellum eſt! vinciné valeret
Abſq; moris? natura nocens tantam adjuvat iram,
Et ſervire jubet lapides hoſtilibus auſis.
Vrbs proprijs favet ipſa malis, ſibi fabricat ipſe
Perniciem locus, exitiumq; elementa laborant.
Tollitur eroſum celſo nam pumice Saxum
Inq; ſuum trux petra riget diſcrimen: hiantis
Præruptam ſcopuli cautem declivia nuſquam
Tergora ſummittunt, recto ſed culmine cælos
Invadit ſuſpenſus apex: circumfluus amnis
Saxa coronavit: tum petroſæ aſſidet Vrbi
Bina arx: innumeræ complêrunt mænia peſtes
Arciſq;, Vrbiſq;, & Turcæ, Dacuſq; doloſus,
Et Scytha, qui ſævis campos populatibus urant
Semper, & abductis onerent ergaſtula prædis,
Ac de Podolijs (heu barbara nomina!) terris
Efficiant Scythiamq;, & Eôí Regna Tyranni.
Huc Biſton vires orientis, & ultima ſecum

Ba-

Bactra vehit, neſcitq; Aliam potator Araxis
Miles, ubi patriam raptis ſibi condit in arvis
Podoliæ, armorum ſucceſſu, & crimine felix.
Aſt ubi flagitio Parcarum fila IOANNIS
Rumpũtur, cum Rege ſuo propè Regna ſepulchro
Sunt illata. Eadem Regis, Regniq; ruina,
Et tumulus. Fuimus, fuimus jam triſte cadaver!
Inde Tuis AVGVSTE humeris, quéis poſſet olym
Machina, ſi rueret, niti, nutantia rerum
Fata Polonarum fauſtè ſedere. Superba
Attremuit Rhodope, tremulum Pangæa cacumen
Vix cervice ferunt, dubitavit ſtare Cytheron,
Luna ter abſcondit caput, & ter palluit ore
Æternam metuens noctem, ter inhorruit, altis
Turgida Cameneci ſedit quæ Turcia petris
Inſolito concuſſa metu, potuitq; timere
Ille timor mundi. Sed læta Polonia Rege
Subſiluit. Subitò tempeſtas migrat, & ipſæ
Riſerunt lacrymæ, ut tantùm ſperare beata
Fas foret, atq; novam votis diſponere ſortem.
Sed neq; tantarum ſe fallit imagine rerum
Ludicra ſpes: ſublime caput libramus ab urna,
Tollere ſemineces artus, animoſq; cadentes
E tumulis efferre licet. Spectatis? ut auro
Effulſère dies, nec inerti Lechia torpens
Mente jacet, priſci redeunt per membra vigore
Plumbea dum reperit, facit aureus aurea Princep
Secula. Dî, magniq; ſuis de nutibus annos
Fortunamq; rotant Reges: momenta ſalutis

… manant, quam publica vota precătur.
At non Æmonios tantùm formido fatigat:
Sævitiem cicurat, poſcitq; ſuperbia pacis
Fædera; quin ſupplex fidum mentitur amicum
Hoſtis, & inſeſſis ultro ſeſe abdicat oris.
Sarmatiæ concedit inexpugnabile robur
Cameneci; ceſſit nullo quaſſabile Martis
Arjête prodigium naturæ, & Turcia ceſſit.
Perfidiam Saxi quovis pugnacior enſe
Fama expugnavit. nequiit quod miſſilis ira
Frangere tormenti, jam formidabile Nomen
Principis effregit. Superas AVGVSTE Meduſam;
Saxifica pejor quin Phorcide corruit hoſtis.
Mõſtrũ hoc, ãgvicomã valido qui Gorgona, Perſeû,
Enſe trucidaſti, ſine ferro haud vincere poſſes:
Belliger AVGVSTVS vicit; ſed vicit inermis,
Nec gladio referens, at Majeſtate triumphos.
Oedipe Thebana ſic quondam è rupe nocentem
Præcipitas Sphyngẽ. Niveis hinc vecta quadrigis
Latè Podolios Pax feſta perambulat agros.
Vt jam non rigida ferimus præ fronte ſerenum!
Mæſtitia, affixiq; animis abiêre dolores!
Non minùs arridens mulcet fortuna dolentûm
Pectora, Cimmerias quàm ſi nox lurida gentes
Desereret, Titanq; ruens tenebroſa perenni
Afflaret radio. Geſtiret fortè Prometheûs
Non magìs, inſatiabilibus ſi pectora roſtris
Caucaſea non jam præberet caute revinctus;
Nec rota verſaret ſævis Ixiona gyris,

Sic

Extorres redeunt Divi, vetitumq; manere
Numen ab exilio remeat, moresq; pudici,
Et pietas; nec jam virtus ignobile nomen.
Iam superûm vacuas, & egentes Numinis aras
Numenq;, & superi rursum insedêre: novatis
Nempe profanatas pia cultibus expiat aras
Relligio; rursum libertas reppetit urbem.
Sicubi Threjiciæ funesta insignia Lunæ
Fortè superfuerant, tollit, solemq; reponens,
Et vittas Regale decus, regniq; coronas:
Luna migra: solis statio est, dominæq; coronæ
Inquit. At o monstrum! postquã lux postera fulsit,
Ecce serenatos vultus Sol abdidit, atra
Nocte genas vitiante. Dies tunc ibat, olympi
Ad medium festinus iter. neq; decolor una
Parte, sed obducto Titan expalluit ore
Pænè omnis; medium nox fusca proinde cucurrit
Per Cælum; terræ facies se lurida circùm,
Et sparsæ stupuêre suo non tempore noctes.

Solis d
fecti
alter
post
ceptu
Cam
necun
dic.

Obriguêre, queis humili sub mente gelascunt
Edoniæ, Scythicæq; hyemes. sperare serenas
Ne liceat post atra vices: malè credula plebes
Quæ temerè finxit, metuit, metuendaq; fingit:
O brave delicium! rursus Podolia Phæbum,
Qui modò subrisit, violari mæsta videbis,
Dum Threjissa tuum fuscabit Cynthia solem?
Hoc subitæ spondent tenebræ, sic astra minantur.
Talia langventes animæ, vel mentis egestas.
Ne, populi, trepidate; metûs nil augur olympus

Præteriti ſimulacra mali, non atra Polonis
Secula ſignantur. Caram nox iſta ſalutem
Concipit, ut longam pariat brevis umbra quietem
Nevé Thyeſteas fingat trepidatio cænas.
Integer eſt lucis Titan. Subjectio lunæ
Obnubit radios, non opprimit. Horreat Æmus:
Subjicitur jam ſoli Hecate. Sua ſtemmata Biſtor
Conſulat, & metuat. Qualis nunc luna ſubacto
Subjicitur cornu, talis Thrax colla potenti
Subjiciet Regi, & diſcet non temnere Lechos.
Sed neq; conſulimus cælum: natura negârit,
Aût trux perpetuò velârit Cynthia ſolem;
Sol erit AVGVSTVS. Nec cælos occupet: alto
Splendeat in ſolio; fungetur munere ſolis.
Non ſibi ſpes vano blanditur in omine: certam
Struxerunt portenta fidem. Quid florida pomus?
Gemma quid autumni? roſeuſq; october, & anni
Mira ſeneſcentis cum primo fædera vere?
Hoſtiles vix urbe pedem retulêre catervæ
Omnia mutari, gemmis turgeſcere malus,
Veſtiri foliis, vicini arbuſta roſeti
Vernantes efferre comas. Nox deìnde ſecuta
Explicuit pomum, juſſitq; dehiſcere flores,
Et ſparſim niveo ramos canere capillo.
Tale quid Alcinous vidit? Pomona quid unquam?
Tale vel Idaliæ, Paphiæq; roſaria glebæ
Num ſertum peperêre tuæ Cytherèia fronti?
Aurea ſperaſſent Ægleq;, Aretuſaq; tantis
Germina de gēmis. Sed nos AVGVSTE coronas
Hinc

Muralisq; dari? talem Tibi parturit ipsa
Vrbs, ut Regalem cingat jam libera frontem.
Quin etiam dat prona suum Podolia sidus.
Fas radiis, toto & radiari Numina sole.
Tu modò Sarmatici sidus durabile mundi,
Vivida mens Regni, redivivi Spiritus orbis,
Mars Lechiæ, fulmen sontis letale Geloni,
Exitium Thracis, Spes & tulela Poloni
Nominis, æternùm tantis Rex utere donis,
Quéìs Tua fortunæ non parcus Regna beâsti:
Nec nisi post lentos menses Te redde Deorum
Concilio, tardusq; novo auge sidere cælos.
Vincere seû bello mavis, seû nomine, vinces.
Dant superi, quoscunq; velis, decerne triumphos.
Si mitem Domini genium cicur hostis adorat,
Et studium est subdi; facilem clementia vincat.
Haûd gravidæ ferro veniant in prælia turmæ,
Neû gladii stridant: AVGVSTI Nominis horror
Decernet, quod mucro minax. Exercitus ingens
Militat in pugnas Famâ sua signa movente.
Excubias fortuna, Tuo quæ jurat honori,
Rex, aget, & positis mundum tutabitur armis.
Quod si animos tollat, speretvé protervia palmam
Adsterni pigra, fulmineam deprome sarissam,
Et Majestatis metuenda tonitrua; sternes.
Ictibus haûd opus est ad cladem: sufficit unus.
Quos metus exanimat, facilè est prosternere ferro,
Iam facilis vinci titubat jam Turcia. Multam
Debellas famâ, truncabis acinace totam.